JOSEPHUS COMES
GARAMPI

DEI & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Berytensis, Sanctissimi Domini nostri Domini PII Divina Providentia PAPÆ VI. Prælatus domesticus & solio pontificio Assistens, ejusdemque & Sanctæ Sedis Apostolicæ in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ cum facultatibus Legati de Latere

NUNTIUS.

Universis & singulis præsentes literas inspecturis &c.



ALiàs, cum in Comitiis Reipublicæ Polonæ an. 1767, & 1768. extra ordinem celebratis, plura ex temporum infelicitate decernerentur ac publicarentur, per quæ salus animarum, integritas Catholicæ Fidei, dignitas Religionis in regno Poloniæ DEI benignitate dominantis, Immunitas & jurisdictio ecclesiastica, vel periclitari, vel impeti, lædi & infringi contigerat; sanctæ memoriæ CLEMENS XIII. P.M. ex Apostolici sui ministerii officio, nec non illustrium prædecessorum suorum in tuendis vindicandisque Religionis & Ecclesiæ juribus exempla secutus, Illustrissimo & Reverendissimo Domino Angelo Mariæ DURINI Archiepiscopo Ancyrano demandavit, ut contra omnia gesta, acta, ac decreta prædicta, quatenus Religioni, divino

vino



vino cultui, atque Ecclesiæ juribus adversarentur, reclamaret, sicut revera die 30. januarii an. 1768. solemniter reclamavit: prout ex ejus Patentibus literis, tunc in vulgus prolatis, & supremo Regni Cancellario, aliisque, quorum intererat, insinuatis, nec non in Acta Cancellariæ Nuntiaturæ Apostolicæ relatis, constat & apparet.

Spes quidem affulserat fore, ut in novis Comitiis, quæ ab anno 1773. fuerunt usque adhuc extracta, hujusmodi damna & injuriæ resarcirentur. Sanctæ memoriæ CLEMENS XIV. P. M. haud pridem defunctus, qua literis Apostolicis, qua officiis & sollicitudinibus, vel per se ipsum, vel per me infrascriptum, nullo unquam tempore destitit Serenissimum Regem, Illustrissimos & Reverendissimos Episcopos, ceterosque hujus nationis ordines hortari, rogare, & in Domino obsecrare, ut debitus Catholicæ avitæ Religionis, Ecclesiæque juribus, quæ prudentissimis legibus fuerant à Majoribus sapienter & religiose communita, honor & vigor redderetur. Propensa in hoc voluntas & studium Illustris Delegationis tum præcipue apparuit, cum nonnullos spectatæ religionis viros, nec minus nobilitate quam Dignitatibus præstantes, designârat, qui una mecum ceterisque Episcopis Varsaviæ degentibus mutuo hisce de rebus conferrent, & quæ agenda essent, deliberarent.

Conjunctis studiis ea omnia attigimus, pertractavimus & inculcavimus, quorum remedium & præsens & necessarium esse videbatur. Sed cum in cassum cederent studia nostra, & leges ex adverso non peterentur, sed imponerentur ac peremptorie præscriberentur; necesse mihi fuit congressus, qui domi meæ habebantur, interrumpere, ac me iis prorsus abstinere, ne, quidquid deinde in Delegatione, invitis licet animis, decerni contingeret, id me annuente (quod DEUS avertat) agi videretur. Hæc pluries oretenus declaraveram Illustribus Viris, qui me conveniebant; hæc eadem universæ Delegationi significanda curavi per literas meas die 27. fe-

bruarii

bruarii datas, & ad Illustrissimum & Reverendissimum Præsidentem missas, quas hic pro insertis & expressis haberi volo.

Sed DEO propter peccata nostra sic permittente, factum est, ut quæ vulnera in infaustis Comitiis anni 1768. fuerant Catholicæ Religioni usque adhuc in Polonia dominanti, atque Ecclesiæ immunitati & jurisdictioni graviter inflicta, eadem non modo nullis congruis remediis sanarentur; sed imo, paucis demptis, quorum plagæ obtectæ potius dici possunt, quam sanatæ, reliqua omnia novis ictibus, confirmatione nempe præcedentium assertarum Constitutionum in iisdem Comitiis editarum, magis magisque recrudescerent.

Hæc autem omnia cum vulgo circumferri & asseri non sine ingenti animi mœrore audiam, licet palam & coram universis, iisque præsertim, quibus in hujusmodi deliberationibus locus est, eadem omnino reprobaverim, sicut & nunc reprobo: quinimo ea omnia pericula, injurias, damna & mala omnia, quæ ex hujusmodi assertis Tractatu & Constitutionibus in Religionem & Ecclesiam derivarent, quemadmodum aliàs semper exposui, ita & nunc exponere pro DEI gloria & Ecclesiæ indemnitate non prætermitto; tamen ne, si eadem, quæ ad statuendum impulerunt, ad confirmandum etiam adigerent, mora & præsentia mea in hac civitate in ullum consensus vel patientiæ meæ argumentum trahantur: Ego infrascriptus, ne ullas apostolici ministerii mihi commissi partes & officia omittam, imo inhærendo speciali mandato per literas apostolicas in forma Brevis ad me datas die 16. martii anni 1773, & Actis Cancellariæ Nuntiaturæ Apostolicæ insertas, mihi injuncto, contra omnia huc usque acta ejusmodi, & in posterum gerenda, quatenus nempe Religioni Catholicæ, divino cultui, animarum saluti, sedis Apostolicæ & inferiorum Ecclesiarum auctoritati, seu libertati ac jurisdictioni ecclesiasticæ, atque Catholicorum juribus adversantur, protestor, & dissensum ac reprobationem meam solemniter declaro.

Imo

Imo Proteſtationem Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Angeli Mariæ DURINI Archiepiſcopi Ancyrani, prædeceſſoris mei, ſupramemoratam, confirmandam & renovandam cenſeo, ſicut & præſentibus, velut ſi de verbo ad verbum inſereretur, confirmo & renovo, eique in totum adhæreo: quatenus nempe, vel ea, quæ provide ab ipſo reprobata & caſſata fuêre, non fuerint congrue, & ad præſcriptum ſacrorum Canonum & Conſtitutionum Apoſtolicarum correcta & emendata, vel alia quæcunque de novo in præjudicium jurium eccleſiaſticorum decreta in Delegatione fuiſſent, & in præſentibus Comitiis confirmarentur. In quorum fidem ac perpetuam præſentium ac futurorum memoriam, teſtimonium hoc patens & publicum, per præſentes literas manu mea ſubſcriptas, ac majori meo ſigillo munitas, edi juſſi.

Datum Varſaviæ ex Cancellaria Nuntiaturæ Apoſtolicæ die XVI. menſis martii anno Domini MDCCLXXV. indictione VIII. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini PII PP. VI. Anno I.

Joſephus Archiepiſcopus Berytenſis
Nuntius Apoſtolicus.

Loco ✠ Sigilli.